

benevolentia praecipuus, ita ira fervidus. Sed noverat haec non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refracto et quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. Denique cum matronae multae, quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illae arguebant maritorum vitam, haec earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas tabulas, quae matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillae factae essent, deputare debuissent; proinde memores conditionis, superbire adversus dominos non oportere. Cumque mirarentur illae, scientes quam ferocem conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius ceciderit uxorem, aut quod a se invicem vel unum diem domestica lite dissenserint, et causam familiariter quaerent, docebat illa institutum suum, quod supra memoravi. Quae observabant, expertae gratulabantur: quae non observabant, subjectae vexabantur. Socrum etiam suam primo susurris malarum ancillarum adversus se irritatam, sic vicit obsequiis, perseverans tolerantia, et mansuetudine, ut illa ultro filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se, et nurrum pax domestica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaque posteaquam ille et matri obtemperans, et curans familiae disciplinam, et concordiae suorum consulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coercuit: promisit illa, talia de se praemia sperare debere, quaecunque de sua nuru sibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur; nullaque jam audente, memorabili inter se benevolentiae suavitate vixerunt. Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cujus utero me creasti, Deus meus, misericordia mea, munus grande donaveras, quod inter dissidentes, atque discordes quaslibet animas, ubi poterat, tam se praebebat pacificam, ut, cum